



~~Cc 419~~

418

7) Stephanus, Hausman

notat 2) — 10)

Cc 418

1731

Jan 4) des Portrat

des Papsts Pant. V.

(1655-56)

I Genf um 1570.]



PAVLVS PAPA V, PONT OPT MAX ROMAN

Ante dictus Camillus Tit S. Ghrisogoni Card. Burghesius, S. D. N. Papa
Vicarius Protector Regni Scotie, a. S. Iunii 1596 factus Card.
croatus Pontifex a 17. Maii 1605 Aetatis Sue An LIII

4
2
DE CIVILI-
TATE MORVM
PVERILIVM LI-
BELLVS,

ERASMI ROTERODAMI,

*Recognitus, Et viginti quatuor
Capitibus, quorum unicuiq; summa prepo-
sita est, distinctus, adjecta Græco-
rum vocabulorum inter-
pretatione,*

PRO SCHOLA COBVR-
GENSI, in qua proponetur, & è Ga-
lateo, & aliis autoribus, Deo bene
juvante, explicabitur.



COBVRGI,
Excudebat Iustus Hauck.

Anno MDCIV.

AN
apa
rd.
II

Desiderius Erasmus

PRO SCHOLA COBVR

Excubitat Instans Habes

Anno M DCIV



I

DES. ERASMVS
ROTERODAMVS
GENEROSO CVM PRIMIS,
ET OPTIMÆ SPEI PVERO
HENRICO A BVRGVNDIA,
ADOLPHI PRINCIPIS
Veriani filio, S.

CAPVT I.

*Quod continet proœmium, in quo ostendit, cur
hunc libellum conscripserit, & huic juniori
Principi, ac sub ejus nomine omnibus
bonis & honestis pueris de-
dicaverit.*

SI Ter maximum illum PAV-
LVM non piguit *omnia fieri
omnibus*, 1. Cor. 9. 22. quò pro-
desse posset *omnibus*: quantò
minus ego gravari debeo, iuvandæ ju-
ventutis amore subinde repuerascere?

Itaque quemadmodum pridem ad
MAXIMILIANI à BURGUNDIA
fratris tui primam adolescentiam memet

A 2

accom-

accommodavi, cùm adolescentulorum
 formo linguam: Ita nunc, HENRICE
 suavissime, me ad tuam attempo pueri-
 tiam, de puerorum moribus præcepturus:
non quòd tu hisce præscriptis magnoperè
 egeas, *primum* ab incunabulis inter Auli-
 cos educatus, *mox* nactus Iohannem Cru-
 cium, tam insignem formandæ rudis æta-
 tit artificem: *aut* quòd omnia, quæ præ-
 scribemus, ad te pertineant, & è Principi-
 bus, & Principatui natum: *sed* ut libentius
 hæc ediscant *omnes* pueri, quòd amplissimæ
 fortunæ, summæq; spei puero dicata sint.

Nec enim mediocre calcar addet
 universæ publi, si conspexerint, HERO-
 VM liberos à primis statim annis dicari
 studijs, & in eodem cum ipsis studio cur-
 rere.

CAPVT II.

*Quòd munus formandi pueritiam quatuor con-
 stet partibus, de quarum ultima in hoc libello
 propriè agitur, quam commendat
 pueris, & de vera Nobilitate
 aliquid aspergit.*

MUNVS

MVNVS autem formandi pueritiam multis constat partibus, quarum sicu-
ti *prima*. ita praecipua est, ut tenellus ani-
mus imbibat *pietatis* seminaria: *proxima*,
ut liberales disciplinas & amet, & perdi-
scat: *tertia* est, ut ad vitae officia instruatur:
quarta est, ut à primis statim aevi rudimen-
tis Civilitati morum assuescat. Hanc *po-
stremam* nunc mihi propriè sumpsi. Nam
de superioribus cum alij complures, tum
nos quoque permulta conscripsimus.

Quanquam autem externum illud
corporis Decorum ab animo bene com-
posito proficiscitur: tamen **I N C V R I A**
P R A E C E P T O R V M nonnunquam fieri
videmus, ut hanc interim gratiam in pro-
bis & eruditis hominibus desideremus.

Nec inficior, hanc esse crassissimam
Philosophiae partem, sed ea, ut sunt hodie
Mortalium iudicia, plurimum conducit,
& ad conciliandam benevolentiam, &
praecelaras illas animi dotes oculis homi-
num commendandas.

Decet autem, ut homo totus sit com-
positus *animo, corpore, gestibus, ac vestitu:*

4
sed in primis pueros decet omnis *modestia*,
& in his præcipuè **N O B I L E S**. Pro Nobilibus autem habendi sunt omnes, qui studiis liberalibus excolunt animum. Pingant alij in clypeis suis Leones, Aquilas, Tauros, & Leopardos: plus habent veræ Nobilitatis, qui pro insignibus suis tot possunt imagines depingere, quot perdidicerunt artes liberales.

C A P V T III.

De Oculis & Supercilijs.

VT ergo benè compositus pueri animus undiq; reluceat, (*relucet autem potissimum in vultu*) sint oculi placidi, verecundi, compositi, non torvi, quod est truculentia, non improbi, quod est impudentia, non vagiac volubiles, quod est insania, non limi, quod est suspiciosorum & insidias molientium, nec immodicè diducti, quod est stolidorum, nec subinde conniventibus genis ac palpebris, quod est inconstantium, nec stupentes, quod est attonitorum, id quod est in
Socræ.

Socrate notatum, nec nimium acres, quod
est iracundiæ signum, non innuentes ac
loquaces, quod est impudicitiae signum,
sed animum sedatum ac reverenter ami-
cum præ se ferentes. Nec enim temerè
dictum est à priscis Sapientibus, *animi se-
dem esse in oculis.*

Picturæ quidem veteres nobis lo-
quuntur, olim singularis cujusdam mo-
destiæ fuisse, semiclusis oculis obtueri,
quemadmodum apud Hispanos quosdam
semipatos intueri, blandum haberi videtur
& amicum. Itidem ex picturis discimus,
olim contractis strictisq; labiis esse, probi-
tatis fuisse argumentum.

Sed quod suapte natura decorum est,
apud omnes decorum habebitur. Quan-
quam in his quoq; decet interdum, nos
fieri Polypos, & ad regionis morem nos-
met attemperare.

Iam sunt quidam oculorum habi-
tus, quos alijs alios addit Natura, qui non
cadunt sub nostras præceptiones, nisi
quòd incompositi gestus non rarò viti-
ant non solum oculorum, verùm etiam

totius corporis habitum ac formam. Contra compositi, quod naturâ decorum est, reddunt decentius : quod vitiosum est, si non tollunt, certè tegunt minuuntq;.

Indecorum est, clauso oculorum altero quenquam obtueri. Quid enim hoc aliud est, quàm seipsum eluscare? Eum gestum Thynnisi ac Fabris relinquamus.

Sint exporrecta *SUPERCILIA*, non adducta, quod est torvitatis, non sublata in altum, quod est arrogantia, non in oculos depressa, quod est malè cogitantium.

CAPUT IV.

De Fronte, Naribus, & Sternutatione.

FRONS item hilaris & explanata, mentem sibi bene consciam, & ingenium liberale præ se ferens, non in rugas contracta, quod est senij : non mobilis, quod est Erinaccorum : non torva, quod est Taurorum.

ANARIBVS absit mucoris purulentia, quod est sordidorum. Id quoq; vitium Socrati Philosopho datum est probro.

Pileo aut veste emungi, rusticanum est,
bra-

brachio cubitoꝛve, falfamentariorum, nec multò civilius id manu fieri, ſi mox pituitam veſti illinas.

Stropholis excipere narium recreamenta decorum, idq; paulisper averſo corpore, ſi qui adſint honoratiores. Si quid in ſolum dejectum eſt, emuncto duobus digitis naſo, mox pede proterendum eſt.

Indecorum eſt, ſubinde cum ſonitu ſpirare naribus: bilis id indicium eſt.

Turpius etiam ducere ronchos, quod eſt furioſorum, ſi modò fiat uſu. Nam ſpiritofis, qui laborant orthopnœa, danda eſt venia.

Ridiculum naribus vocem emitte- re: nam id Cornicinum eſt, & Elephan- torum.

Criſpare naſum, irriſorum eſt, & ſan- nionum. Si alijs præſentibus incidat *ſternutatio*, civile eſt corpus avertere. Mox, ubi ſe remiſerit impetus, ſignare os cru- cis imagine, deinde ſublato pileo, reſalu- tatis qui vel ſalutarunt, vel ſalutare debu- erant, (*nam ſternutatio, quemadmodum oſci-*

A s

tatio

tatio sensum aurium prorsus aufert) precari veniam, aut agere gratias.

Alterum in sternutamento salutare, religiosum, & si plures adsint natu majores, qui salutant virum, aut foeminam honorabilem, pueri est aperire caput.

Porrò vocis tinnitum studio intendere, aut data opera sternutamentum iterare, nimirum ad virium ostentationem, *rugonum* est. Reprimere sonitum, quem natura fert, *ineptorum* est, qui plus tribuunt civilitati, quàm saluti.

C A P V T V.

De Malis, buccis, ore, labijs, oscitatione & risu.

MA L A S tingat natus & ingenuus pudor, non fucus, aut ascititius color. Quanquam is quoq; pudor sic temperandus est, ut nec vertatur in improbitatem, nec inducat *δυσωμίαν*, aut stuporem, & quartum, *ut habet proverbium*, insanix gradum. Quibusdam enim hic affectus tam impotens insitus est, ut reddat deliranti similitimum. Temperatur hoc malum, si puer inter Majores assue-
scat

9
scat vivere, & Comœdiis agendis exer-
ceatur.

Inflare *buccas* fastus indicium est: eas-
dem demittere, est animum desponden-
tis: alterum est Thraſonis, alterum Iudæ
proditoris.

Os nec prematur, quod est metuentis
alterius halitum haurire, nec hiet, quod
est Morionum, sed leviter osculantibus
se mutuò labris, conjunctum sit.

Minus etiam decorum est, subinde
porrectis labijs veluti poppysmum facere:
quanquam id magnatibus adultis, per
mediam turbam incedentibus, condo-
nandum est. Illos enim decent omnia:
nos puerum formamus.

Si fors urgeat oſcitatio, nec datur a-
verti aut cedere, strophiole volave tega-
rur os, mox imagine crucis obſignetur.

Omnibus dictis aut factis arridere,
stultorum est: nullis arridere, *stupidorum*,
Obscœnè dictis aut factis arridere, *nequi-
tia* est.

Cachinnus & immodicus ille, totum
corpus quatens risus, quem ob id Græci

συχρῆ-

συνηγοριον appellant, nulli decorus est ætati, nedum pueritiæ.

Dedecet autem, quòd quidam ridentes hinnitum edunt. Indecorus & ille, qui oris rictum latè diducit, corrugatis buccis, ac nudatis dentibus, qui caninus est, & Sardonijs dicitur.

Sic autem vultus hilaritatem exprimat, ut nec oris habitum dehonestet, nec animum dissolutum arguat. Stultorum illæ voces sunt: *risu diffluo, risu dissilio, risu emorior*, & si qua res adeò ridicula incidat, ut nolentibus ejusmodi risum exprimat, mappa manùve tegenda facies.

Solum, aut nullam evidentem ob causam ridere, vel stultitiæ tribuitur, vel insanix. Si quid tamen ejusmodi fuerit obortum, civilitatis erit aliis aperire risus causam, aut si non putes proferendam, commentitium aliquid afferre, ne quis se derideri suspicetur. Superioribus dentibus labrum inferius premere, inurbanum est: hic enim est minantis gestus, quemadmodum & inferioribus morde-
re superius.

Quin

21

Quin & labrorum oras lingua circum-
voluta subinde lambere, ineptum. Por-
rectioribus esse labris, & velut ad oscu-
lum compositis, olim apud Germanos
fuisse blandum, indicant illorum pictu-
ræ. Porrecta lingua deridere quenquam,
scurrile est.

CAPUT VI.

De saliva, tussi, ructu, sreatu, vomitu.

A Versus expuito, ne quem conspuas
aspergâve. Si quid putulentius in
terram rejectum erit, pede, ut dixi, pro-
teratur, ne cui nauseam moveat. Id si non
licet, linteolo lputum excipito. Resor-
bere salivam inurbanum est, quemadmo-
dum & illud, quòd quoldam videmus,
non ex necessitate, sed ex usu ad tertium
quodq; verbum expuere.

Quidam indecorè subtussiunt iden-
tidem inter loquendum, idq; non ex ne-
cessitate, sed ex usu: is gestus est menti-
entium, & inter dicendum, quid dicant,
comminiscentium.

Alij minus decorè ad tertium quodq;
verbum

verbum eructant, quæ res si à teneris annis abierit in consuetudinem, hæret etiam in grandiore ætate.

Idem sentiendum de Sreatu, quibus nominibus à seruo notatur Terentianus Clitipho.

Si tussis urgeat, cave ne cui in os tuffias, & absit ineptia clarius tussendi, quàm natura postulet.

Vomiturus secede: nam vomere turpe non est, sed ingluvie vomitum accessisse, deforme est.

CAPUT VII.

De Dentibus, Ore, Capite, Coma, & Casaris.

Dentium mundities curanda est: verùm eos pulvisculo candidare, puellarum est, sale aut alumine defricare, gingivæ perniciosum. Idem lotio facere, Iberorum est,

Si quid inhæsit dentibus, non cultello, non unguibus, canum felumve more, non mantili eximendum est, sed vel Lentisci cuspide, vel penna, vel officulis è gallorum aut gallinarum tibijs detractis.

Os

13

Os manè pura aqua proluere, & urbanum est, & salubre: subinde id facere, ineptum. De linguæ usu suo dicemus loco.

Rusticanum est impexo esse capite, adsit mundities, non nitor puellaris. Absint sortes lendium & vermiculorum.

Subinde scabere caput apud alios, parum decet, quemadmodum unguibus reliquum fricare corpus, fordidum est, præsertim si fiat usu, non necessitate.

Coma nec frontem tegat, nec humeris involitet. Subinde concusso capite discutere capillitium, lascivientium est equorum.

Cæsariem à fronte in verticem læva retorquere, parum elegans est, manu discriminare, modestius.

C A P V T VIII.

De Cervice, humeris, & brachiis.

Inflectere cervicem, & adducere scapulas, pigritiam arguit: resupinare corpus, fastus indicium est: molliter erectum decet. Cervix nec in lævum, nec in dextrum vergat: hypocriticum enim, nisi colloquium, aut aliud simile postulet.

Hume:

Humeros oportet æquo libramine temperare, non in morem antennarum alterum attollere, alterum deprimere. Nam huiusmodi gestus in pueris neglecti, vertuntur in naturam, & corporis habitum præter naturam deformant.

Itaq; qui præ desidia collegerunt consuetudinem inflectendi corpus, sibi gibbum conciliant, quem Natura non dederat: & qui deflexum in latus caput habere consueverunt, in eum habitum indurescunt, ut adulti frustra mutare nitantur. Siquidem tenera corpuscula plantulis similia sunt, quæ in quamcunq; speciem furca funiculove deflexeris, ita crescunt & indurescunt.

Vtrunq; brachium in tergum detorque, simul & pigritiæ specimen habet, & Furis: neq; multò decentius est altera manu in ilia injecta astare, sederève, quod tamen quibusdam elegans, ac militare videtur.

At non statim honestum est, quod stultis placuit, sed quod naturæ & rationi consentaneum est. Reliqua dicentur, cum

ad

15

ad colloquium & convivium ventum
erit.

CAPVT IX.

*De membris pudendis, deq̄ lotio &
ventris flatu.*

Membra quibus Natura pudorem
addidit, retegere citra necessitatem,
procul abesse debet ab indole liberali.
Quin, ubi necessitas huc cogit, tamen id
quoque decente verecundia faciendum
est, etiamsi nemo testis adsit. Nunquam
enim non adsunt Angeli, quibus in pueris
gratissimus est pudicitiae comes custosq̄
pudor. Quorum autem conspectum o-
culis subducere pudicum est, ea multò
minus oportet alieno præbere contactui.

Lotium remorari, valetudini pernicio-
sum, secretò reddere, verecundum. Sunt
qui præcipiant, ut puer compressis nati-
bus ventris flatum retineat. Atqui civile
non est, dum urbanus videri studes, mor-
bum accersere. Si licet secedere, solus id
faciat : sin minus, juxta vetustissimum
Proverbium : Tussi crepitum dissimulet,

B

Alio-

Alioqui cur non eâdem operâ præcipiunt, ne alvum dejiciant, cum remorari flatu periculosius sit, quàm alvum stringere.

CAPVT X.

Quomodo sedendum, standum, flectenda genua, incedendum.

DIVIDUETIS genibus sedere, aut divaricatis tibiis distortisve stare, Thrasonum est. Sendenti coëant genua, stanti pedes, aut certè modicè diducantur. Quidam hoc gestu sedent, ut alteram tibiam altero genu suspendant: nonnulli stant decussatim compositis tibiis, quorum alterum est anxiorum, alterum ineptorum. Dextro pede in lævum femur injecto sedere, priscorum Regum mos est, sed improbatus.

Apud Italos quidam honoris gratia pedem alterum altero premunt, uniq; propemodum insistent tibiæ, Ciconiarum ritu, quod an pueros deceat, nescio.

Atidem in flectendis genibus aliud
apud

apud alios decet. dedecetq;. Quidam utrunq; pariter inflectunt, idq; rursus alij recto corpore, alii nonnihil incurvato. Sunt qui hoc ceu muliebri rati, similiter erecto corpore, primum dextrum incurvant genu, mox sinistrum: quod apud Britannos in adolescentibus laudi datur.

Galli modulato corporis circumactu dextrum duntaxat inflectunt. In his, in quibus varietas nihil habet cum honesto pugnans, liberum erit, vel vernaculis uti moribus, vel alienis obsecundare, quando sunt, quos magis capiunt peregrina.

Incessus nec fractus sit, nec præceps, quorum alterum est mollium, alterum furiosorum: nec vacillans, quod à Fabio improbatur. Nam ineptam in incessu subclaudicationem, Suiceris militibus relinquamus, & ijs, qui magnum ornamentum ducunt, in pileo gestare plumas. Tametsi vidimus Episcopos hoc gestu sibi placere.

Sedentem pedibus ludere, stultorum

B 2

est,

est, quemadmodum & manibus gesticulari, parum integræ mentis indicium est.

CAPUT XI.

De cultu, seu vestibus, quidq; in illis deceat, quid non deceat.

IN summa dictum est de corpore: nunc de cultu paucis, eò quòd vestis quodammodo corporis corpus est, & ex hac quoq; licet habitum animi conjicere.

Quanquam hîc certus præscribi modus non potest, eò quòd non omnium par est vel fortuna, vel dignitas, nec apud omnes nationes eadem decora sunt, aut indecora, postremò nec omnibus seculis eadem placent displicentve.

Vnde, quemadmodum in alijs multis: ita hîc quoq; nonnihil tribuendum est, juxta Proverbium. νόμος καὶ χώρα, (*legi & regioni*) atq; etiam καὶ χρόνος (*tempori*) cui servire jubent Sapientes.

Est tamen in hisce varietatibus, quod per se sit honestum, aut secus, velut illa quæ nullum habent usum, cui paratur vestis.

Pro-

Prolixas trahere caudas, in fœminis ridetur, in viris improbatur: an Cardinales & Episcopos deceat, aliis æstimandum relinquo.

Multitia nunquam non probro data sunt, tum viris, tum fœminis, quandoquidem hic est alter vestis usus, ut ea tegat, quæ impudicè ostenduntur oculis hominum.

Olim habebatur parum virile, distinctum esse, nunc idem nemini vitio vertitur, quòd indusijs, subuculis, & caligis reptis, tegantur pudenda, etiamsi diffluat tunica.

Alioqui vestis brevior, quàm ut inclinanti tegat partes, quibus debetur honos, nusquam non inhonesta est.

Dissecare vestem, amentium est: picturatis ac versicoloribus uti, Morionum est ac simiarum.

Ergo pro modo facultatum ac dignitatis, proq; regione & more adsit cultui mundities, nec fordibus notabilis, nec luxum, aut lasciviam, aut fastum præ se ferens.

Neglectior cultus decet adolescentes, sed citra immunditiam. Indecorè quidam interularum ac tunicarum oras aspergine lotij pingunt, aut sinum brachialiaq; indecoro tectorio incrustant, non gypso, sed narium & oris pituita.

Sunt quibus vestis in alterum latus defluit, alijs in tergum ad renes usq;, nec desunt quibus hoc videatur elegans.

Vt totum corporis habitum mundum & compositum esse decet: ita decet illum corpori congruere.

Si quid elegantioris cultus dedere parentes, ne teipsum reflexis oculis contemplare, nec gaudio gestias, alijsq; ostentes: nam alterum simiarum, alterum pavonum: mirentur alij, tu te bene cultum esse nescias.

Quò major est fortuna, hoc est amabilior modestia. Tenuioribus in conditionis solatium concedendum est, ut moderatè sibi placeant. At dives ostentans splendorem amictus, alijs suam exprobrat miseriam, sibiq; constat invidiam.

CA-

CAPVT XII.

*De Moribus in Templo, ubi considerantur
CHRISTVS, Angeli, Concionator, Evange-
lium, Myſteria. Divos Pontificijs relinqui-
mus: & cum verba illa Symboli ca-
nuntur, genua tantum flekti-
mus, non in genua pro-
cumbimus.*

QUOTIES fores templi præteris, nudato
caput, ac modicè flexis genibus, ad sacra
verso vultu, CHRISTVM, Divosq; salutato.
Idem & aliàs faciendum, sive in urbe, sive in
agris, quoties occurrit imago crucis. Per eadem
sacram ne transieris, nisi simili religione sal-
tem brevi precatiuncula CHRISTVM
appelles, idq; relecto capite, & utroque genu
flexo.

Cum sacra peraguntur, totum cor-
poris habitum ad religionem decet com-
ponere. Cogita illic præsentem CHRIS-
TVM, cum innumeris Angelorum mil-
libus. Et, si qui Regem hominem allocu-
turus, circumstante procerum corona,
nec caput aperiat, nec genua flectat, non

B 4

jam

jam pro Rustico, sed pro infano haberetur ab omnibus: quale est, illic opertum habere caput, erecta genua, ubi adest Rex ille regum immortalis, & immortalitatis largitor, ubi venerabundi circumstant ætherei Spiritus?

Nec refert, si eos non vides: vident illi te, nec minus certum est illos adesse, quàm si videres eos oculis corporeis. Certius enim cernunt oculi fidei, quàm oculi carnis.

Indecentius etiam est, quòd quidam in templis obambulant, & Peripateticos agunt. Atqui deambulationibus porticus & fora conveniunt, non templa, quæ sacris concionibus, mysterijs, ac deprecationi dicata sunt.

Ad Concionantem spectent oculi, huc attentæ sint aures, huc inhiat animus cum reverentia, quasi non hominem audias, sed Deum per os hominis tibi loquentem.

Cùm recitatur Evangelium, assurge, & si potes, ausculta religiosè.

Cùm in Symbolo canitur: & homo factus

factus est, in genua procumbe, vel hoc pacto te submittens in illius honorem, qui semet pro tua salute, cum esset supra omnes cœlos, demisit in terras: cùm esset Deus, dignatus est homo fieri, ut te faceret Deum.

Dum peraguntur Mysteria, toto corpore ad religionem composito, ad Altare versa sit facies, ad Christum animus.

Altero genu terram contingere, erecto altero, cui lævus innitatur cubitus, gestus est impiorum militum, qui Domino IESU illudentes dicebant: *ave Rex Iudeorum*. Tu demitte utrunq; reliquo etiam corpore non nihil inflexo ad venerationem.

Reliquo tempore aut legatur aliquid è libello sive preclarum, sive doctrinæ salutaris, aut mens cœleste quippiam meditetur. Eo tempore nugas obgannire ad aurem vicini, eorum est, qui non credunt illic adesse CHRISTVM. Huc illuc circumferre vagos oculos, amentium est.

Existimate frustra templum adiisse, nisi inde melior dicefferis puriorq;.

B s

C Ar

CAPUT XIII.

De Convivijs.

Vbi de unguibus, lotio, alvo, manibus, consecratione mensæ, sedis honore, cubito, sella. Mariam nos non adoramus: Igitur nec ad nomen ejus genua flectimus.

IN convivijs adsit hilaritas, absit petulantia. Non nisi lotus accumbe, sed antè præfectis unguibus, ne quid in his hæreat sordium, dicarisq; ῥυπικόνδυλ[Ⓞ]: ac prius clam reddito lotio, aut, si res ita postulet, exonerata etiam alvo, & si fortè strictius cinctum esse contingat, aliquantulum relaxare vincula consultum est, quòd in accubitu parum decorè fiat.

Abstergens manus, simul abjice quicquid animo agrè est. Nam in convivio nec tristem esse decet, nec contristare quenquam.

Iussus consecrare mensam, vultum ac manus ad religionem componito, spectans ad convivij primarium, aut, si fors adest, imaginem Christi, ad nomen IESU, matrisq; virginis, utrunq; flectens genu.

Hoc

Hoc muneris si cui alteri delegatum fuerit, pari religione tum auscultato, tum respondeo.

Sedis honorem alteri libenter cede; & ad honoratiorem locum invitatus, comiter excusa: si tamen id crebro serioq; jubeat aliquis autoritate praeditus, verecundè obtempera, ne videare pro civili *prae fractus*.

Accumbens utramq; manum super mensam habe, non conjunctim, nec in quadra. Quidam enim indecorè vel unam, vel ambas habent in gremio.

Cubito vel utroq; , vel altero inniti mensæ, senio, morbòve lassis condonatur. Idem in delicatis quibusdam Aulicis, qui se decere putant, quicquid agunt, dissimulandum est, non imitandum.

Interea cavendum, ne proximè accumbenti cubito, neu ex adverso accumbenti, pedibus sis molestus.

In sella vacillare, & nunc huic, nunc alteri nati vicissim insidere, speciem habet subinde ventris flatum emittentis,

aut

aut emittere conantis. Corpus igitur æ-
quolibramine sit erectum.

(ῥυπαρόνδουλⓄ, homo sordidus, à ῥύπος,
sordes, & κόνδουλⓄ, articulus digiti, dem der
blawe Zwiern vnter den Nägeln herfür
fuekt.)

C A P V T XIV.

*De Mantili, Pileo, Poculo, Cultello, Pane:
quando, quoties, quid, quomodo
bibendum.*

MANTILE si datur, aut humero si-
nistro, aut brachio lævo imposito.
Cum honoratioribus accubiturus,
capite pexo, pileum relinquito, nisi vel
regionis mos diversum suadeat, vel ali-
cujus autoritas præcipiat, cui non parere
sit indecorum.

Apud quasdam nationes mos est, ut
pueri stantes ad Majorum mensam capi-
ant cibum, extremo loco, relecto capite.
Ibi ne puer accedat, nisi iustus, nec hære-
at usque ad convivij finem, sed sumto,
quod satis est, sublata quadra sua, flexo
poplite, salutet convivas, præcipuè qui
inter

inter convivas est cæteris honoratior.

A dextris sit poculum, & cultellus
escarius, ritè purgatus, ad lævam Panis.

Panem una vola pressum, summis
digitis refringere, quorundam Aulico-
rum delicias esse finito. Tu cultello feca
decenter, non undique revellens crustum,
aut utrinque reseccans: delicatorem hoc
est.

Panem veteres in omnibus convivij,
ceu rem sacram, religiosè tractabant: un-
de nunc quoq; mos relictus est, cum for-
tè delapsum in humum, exosculari.

Convivium statim à poculis auspica-
ri, potorem est, qui bibunt, non quod si-
tiant, sed quòd soleant. Nec ea res solùm
moribus est inhonesta, verùm etiam offi-
cit corporis valetudini. Nec statim, post
sumtam ex jure offam, bibendum, multò
minus post lactis esum.

Puero sæpius, quàm bis, aut, ad sum-
mum, ter in convivio bibere, nec deco-
rum est, nec salubre. Semel bibat aliquan-
diu pastus de secundo missu, præsertim
sicco, deinde sub convivij finem, idq; mo-
dicè

dicè sorbendo, non ingurgitando, nec equorum tonitu.

Tum Vinum, tum Cerevisia, nihilominus quàm Vinum inebrians, ut puerorum valetudinem lædit: ita mores dedecorat.

Aqua fervida convenit ætati, aut, si id non patitur sive regionis qualitas, sive aliqua æpiam causa, tenui cerevisia utitor, aut Vino, nec ardenti, & aqua diluto. Alioquin mero gaudentes hæc sequuntur præmia: dentes rubiginosi, genæ defluentes, oculi lusciosi, mentis stupor, breviter, senium ante senectam.

Antequam bibas, præmande cibum, nec labra admoveas poculo, nisi prius mantili aut linteolo absterfa, præsertim si quis suum poculum tibi porrigit, aut ubi de communi bibitur poculo.

Inter bibendum intortis oculis alios intueri, illiberale est, quemadmodum & ciconiarum exemplo cervicem in tergum reflectere, ne quid hæreat in imo cyatho, parum est liberale.

Salutantem poculo resalutet comiter,

ter, & admotis labris cyatho paululum libans, bibere se simulet: hoc civili nugoni satis erit. Qui, si rusticius urgeat, polliceatur se tum responsurum, cum adoleverit.

CAPVT XV.

Quando & quomodo cibus tangendus, & excipiendus, quomodo item recusandus.

QUIDAM, ubi vix bene confederint, mox manus in epulas conjiciunt. Id Luporum est, aut eorum, qui *de chytropode carnes nondum immolatas devorant, juxta Proverbium.*

Primus cibum appositum ne attingito, non tantum ob id, quod arguit avidum, sed quod interdum cum periculo conjunctum est, dum, qui fervidum inexploratum recipit in os, aut expuere cogitur, aut, si deglutiatur, adurere gulam, utroque ridiculus æquè ac miser. Aliquantisper morandum, ut puer assuescat affectui temperare. Quo consilio Socrates

nc-

ne senex quidem unquam de primo cratere bibere sustinuit.

Si cum majoribus accumbit puer, postremus, nec id nisi invitatus, manum admoveat patinæ.

Digitos in iussulenta immergere, agrestium est, sed cultello fulcinave tollat, quod vult: nec id ex toto eligat disco, quod solent liguritores, sed quod forte ante ipsum jacet, sumat: quod vel ex Homero discere licet, apud quem creber est hic versiculus:

οἱ δ' ἐπ' ὀνείαθ' ἑτοίμα προκείμενα χεῖρας ἱάλλον,
Hi verò in cibos paratos & appositos manus injiciebant.

Id quoq; si fuerit insigniter elegans, alteri cedat, & quod proximum est, accipiat.

Vt igitur intemperantis est, in omnes patinæ plagas manum mittere: ita parum decorum, patinam invertere, quò veniant ad te lautiora.

Si quis alius cibum porrexerit elegantiorum, præfatus exculatiunculam, recipiat, sed resecta sibi portiuncula, reli-

quu

quum offerat ei, qui porrexerat, aut proximè assidenti communicet. Quod digitis excipi non potest, quadra excipiendum est.

Si quis è placentâ, vel artocrea porrexerit aliquid, cochleari, aut quadra excipe, aut cochleari porrectum accipe, & inverso in quadram cibo, cochleare reddito. Si liquidius est quod datur, gustandum sumito, & cochleare reddito, sed ad mantile extersum.

Digitos unctos vel ore prælingere, vel ad tunicam extergere, pariter incivile est: id mappa potius, aut mantili faciendum.

Integros bolos subito deglutire, ciconiarum est, ac balatronum. Si quid ab alio fuerit resectum, incivile est, manum quadrâmve porrigere, priusquam ille strutor offerat, ne videare præripere, quod alteri paratum erat.

Quod porrigitur, aut tribus digitis, aut porrecta quadra excipiendum. Si, quod offertur non congruit tuo stomacho, cave ne dixeris illud Comici Clitiph-

C

pho-

phonis: *non possum pater*: sed blandè agito gratias. Est enim hoc urbanissimum recusandi genus. Si perstat invitator, verè dicito, aut non convenire tibi, aut te nihil amplius requirere.

CAPUT XVI.

De ratione secandi, & vitiis quibusdam, quæ inter edendum committuntur, & peculiariter in ovis, ossibus, salino.

DISCENDA est à primis statim annis secandiratio, non superstitiosa, quod quidam faciunt, sed civilis & commoda. Aliter enim inciditur armus, aliter coxa, aliter cervix, aliter cratis, aliter capus, aliter phasianus, aliter perdix, aliter anas: de qua re sigillatim præcipere, ut prolixum sit, ita nec operæ pretium.

Illud in universum tradi potest: Apiti-orum esse, omni ex parte quicquid palato blanditur, abradere. Abs te semesa alteri porrigere, parum honesti moris est.

Panem prærosus iterum in jus immergere; rusticanum est, sicut & cibum
man-

mansum faucibus eximere, & in quadram reponere, inelegans. Nam si quid fortè sumtum est, quod deglutiri non expedit, clam aversus aliquò projiciat.

Cibum ambesum, aut ossa semel in quadram seposita, repetere, vitio datur. Ossa, aut si quid simile reliquum est, ne sub mensam abjeceris, pavimentum conspurcans, nec in mensæ stragulam projice, nec in patinam repone, sed in quadræ angulum sepone, aut in discum, qui apud nonnullos reliquiis excipiendis apponitur.

Canibus alienis de mensa porrigere cibum, ineptiæ tribuitur: ineptius est, illos in convivio contrectare.

Ovi putamen digitorum unguibus, aut pollice repurgare, ridiculum est: idem inserta lingua facere, magis etiam ridiculum, cultello id fit decentius.

Ossa dentibus arrodere, caninum est, cultello purgare civile.

Tres digiti salino impressi, vulgari joco dicuntur agrestium insignia. Cultello sumendum est salis, quantum satis est.

Si longius abest salinum, porrecta quadra petendum est.

Quadram aut patinam, cui saccharum, aut aliud suave quiddam adhæsit, lingua lambere, Felium est, non hominum.

Carnem prius minutim in quadra dissecet, mox addito pane simul aliquandiu mandat, priusquam trajiciat in stomachum. Id non solum ad bonos mores, verum etiam ad bonam valetudinem pertinet. Quidam devorant verius, quam edunt, non aliter, quam mox, ut ajunt, abducendi in carcerem. Latronum est ea tuburcinatio.

Quidam tantum simul in os ingerunt, ut utrinque, ceu folles, tumeant buccæ: alij mandendo diductu labiorum sonitum edunt porcorum in morem. Non nulli vorandi studio, spirant etiam naribus quasi præfocandi.

Ore pleno vel bibere, vel loqui, nec honestum est, nec tutum. Vicissitudo fabularum intervallis dirimat perpetuum esum.

Qui-

Quidam citra intermissionem edunt, bibuntve, non quod eluriant, sitiántve, sed quòd alioqui gestus moderari non possunt, nisi aut scabant caput, aut scalpant dentes, aut gesticulentur manibus, aut ludant cultello, aut tussiant, aut screent, aut expuant. Ea res à rustico pudore profecta, nonnullam insanix speciem habet. Auscultandis aliorum sermonibus fallendum est hoc tædij, si non datur opportunitas loquendi.

CAPVT XVII.

De aliis moribus in mensa: non sed eas cogitabundus: alios non observes: nihil effutias: modicè rideas: aptè respondeas: neminem laeda; nihil vituperes; multa dissimules.

Incivile est, cogitabundum in mensa accumbere. Quosdam autem videas ad eò stupentes, ut nec audiant quid ab alijs dicatur, nec se comedere sentiant, & si nominatim appelles, velut è somno excitari videantur, ad eò totus animus est in patinis.

C 3

Inur-

Inurbanum est, oculis circumactis observare, quid quisque comedat, nec decet in quenquam convivarum diutius intentos habere oculos: inurbanus etiam transversim hircus intueri, qui in eodem accumbunt latere: inurbanissimum, re-torto in tergum capite contemplari, quid rerum geratur in altera mensa.

Effutire, si quid liberius inter pocula dictum factumve sit, nulli decorum est, nedum puero.

Puer cum natu majoribus accumbens, nunquam loquatur, nisi aut cogat necessitas, aut abs quoquam invitetur.

Lepide dictis modicè arrideat, obscè-nè dictis nequando arrideat. Sed nec frontem contrahat, si præcellit dignitate, qui dixit, sed ita vultus habitum temperet, ut aut non audisse, aut certè non intellexisse videatur. Mulieres ornat silentium, sed magis pueritiam.

Quidam respondent, priusquam orationem finierit, qui compellat. Ita sæpe fit, ut aliena respondens, sit risui, detq; veteri locum proverbio: *ἀμας ἀπήτην*, falces

pete-

petebam. Docet hoc Rex ille sapientissimus, stultitiæ tribuens, respondere, priusquam audias, Proverb. 18, 13. Non audit autem, qui non intellexit,

Si minus intellexit percontantem, paulisper obticescat, donec ille, quod dixit, sponte repetat. Id si non facit, sed responsum urget, blandè veniam præfatus puer, oret, ut, quod dixerat, dicat denuo. Intellecta percontatione, paululum interponat moræ, deinde tum paucis respondeat, tum jucundè. In convivio nihil effutiendum, quod obfuscet hilaritatem.

Absentium famam ibi lædere, piaculum est. Nec cuiquam illic suus refricandus est dolor.

Vituperare quod appositum est, incivilitati datur, & ingratum est convivatori.

Si de tuo præbetur convivium, ut excusare tenuitatem apparatus urbanum, ita laudare, aut comemorare, quanti singula constiterint, insuave profectò condimentum est accumbentibus.

Denique si quid à quoquam in con-

vivio fit rusticiùs per imperitiam, civiliter
dissimilandum potius, quàm irridendum.

Decet comotationem libertas. Tur-
pe est, sub dium, ut ait Horatius (lib. i. o-
da. 18.) rapere, si quid cui super cœnam
excidit incogitantius. Quod ibi fit, dici-
túrve, vino inscribendum, ne audias: *Μισῶ
μνάμονα συμπόταν*, odi memorem compo-
torem.

CAPVT XVIII.

*Maturè surgendum à convivio, & minist-
strandum: candela emungenda,
agenda gratia.*

SI convivium erit, quàm pro puerili æta-
te, prolixius, & ad luxum tendere vi-
debitur, simulatq; senseris naturæ factum
fatis, aut clam, aut veniam precatus te sub-
ducito.

Qui puerilem ætatem adigunt ad in-
ediam, mea quidem sententia insaniunt,
neque multò minus ij, qui pueros immo-
dico cibo diffarciunt. Nam, ut illud de-
bilitat

bilitat teneri corpusculi viriculas: ita hoc animi vim obruit. Moderatio tamen statim est discenda.

Citra plenam saturitatem reficiendum est puerile corpus, magisq; crebro, quàm copiosè.

Quidam se saturos nesciunt, nisi dum ita distentus est ventriculus, ut in periculum veniant, ne dirumpatur, aut, ne per vomitum rejiciat onus.

Oderunt Liberos, qui illos etiamnum teneros cœnis in multam noctem productis perpetuò sinunt assidere.

Ergo si surgendum erit à prolixiore convivio, quadram tuam cum reliquijs tollito, ac salutato qui videtur inter convivas honoratissimus, mox & aliis simul, discedito, sed mox rediturus, ne videare lusus, aut alterius parū honestæ rei gratia te subduxisse. Reverfus ministrato, siquid opus erit, aut reverenter mensæ assistito, si quis quid jubeat, expectans. Si quid apponis aut submoves, vide ne cui vestem jure perfundas.

Candelam emuncturus, prius illam

C s

è mensa

è mensa tollito, quodq; emunctum est, protinus aut arenæ immergito, aut solea proterito, ne quid ingrati odoris offendat nares. Si quid porrigis infundisve, læva id facias, caveto.

Iustus agere gratias, compone gestus, paratum te significans, donec silentibus convivis dicendi tempus adfuerit. Interim vultus ad convivio præidentem reverenter versus sit, & constanter.

CAPVT XIX.

De congressibus: ubi præcipitur, honorandos homines, parentes, præceptores, æquales.

SI quis occurrerit in via, vel senio venerandus, vel religione reverendus, vel dignitate gravis, vel alioqui dignus honore, meminerit puer de via decedere, reverenter aperire caput, non nihil etiam flexis poplitibus.

Nec verò sic cogitet: *quid mihi cum ignoto? quid cum nihil unquam bene de me merito?* Non hic honos tribuitur homini,
non

non meritis, sed Deo. Sic Deus iussit per
 Mosen, qui iussit *assurgere cano*; (Levitici
 19. v. 32.) Sic per Paulum, qui presbyte-
 ris duplicatum honorem præcipit exhi-
 bere; (1. ad Timoth. 5. v. 17.) In summa
 omnibus præstare honorem, quibus de-
 betur honos, complectens etiam Ethni-
 cum magistratum. Et, si Turca, quod ab-
 sit, nobis imperet, peccaturi simus, si ho-
 norem Magistratui debitum, illi nege-
 mus.

De parentibus interim nihil dico,
 quibus secundum Deum primus debetur
 honos.

Nec minor præceptoribus, qui men-
 tes hominum quodammodo dum for-
 mant, generant.

Iam & inter æquales illud Pauli Rom.
 12. v. 10. locum habere debet: *honore in-
 vicem prævenientes.*

Qui parem aut inferiorem honore
 prævenit, non ideo sit ipse minor, sed ci-
 vilior, & ob id honoratior. Cum majori-
 bus reverenter loquendum, & paucis,
 cum æqualibus reverenter & comiter.

CA-

CAPVT XX.

*De moribus inter loquendum: ubi consideran-
tur pileus, oculi, vultus, caput, brachia, di-
giti, pedes, & vitia quaedam, tussi-
re, screeare, &c.*

INTER loquendum pileum læva tene-
at, dextra leviter admota umbilico, aut
quod decentius habetur, pileum utraque
manu juncta suspensum, pollicibus emi-
nentibus, tegat pubis locum.

Librum aut galèrum sub axilla tene-
re, rusticius habetur.

Pudor adsit, sed, qui decoret, non
qui reddat attonitum.

Oculi spectent eum, cui loqueris, sed
placidi simplicesq; nihil procax impro-
búmve præ se ferentes. Oculos in terram
dejicere, quod faciunt catóblepæ, malæ
conscientiæ suspicionem habet. Trans-
versim tueri, videtur averfantis.

Vultum huc illuc volvere, levitatis
argumentum est. Indecorum est interim
vultum in varios mutare habitus, ut nunc
corru-

corrugetur nasus, nunc contrahatur frons, nunc attollatur supercilium, nunc distorqueantur labra, nunc diducatur os, nunc prematur. Hæc animum arguunt Prôtei similem.

Indecorum & illud, concusso capite jactare comam, sine causa tussire, screare, quemadmodum & manu scabere caput, scalpere aures, emungere nasum, demulcere faciem (quod est veluti pudorem abstergentis) suffricare occipitium, humeros adducere; (quod in nonnullis videmus Italis.) rotato capite negare, aut reducto accersere: & ne persequar omnia, gestibus ac nutibus loqui, ut virum interdum deceat, puerum minus decet.

Illiberale est jactare brachia, gesticulari digitis, vacillare pedibus, breviter, non lingua, sed toto corpore loqui, quod Turturum esse fertur aut Motacillarum, nec multum ab horrens à picarum moribus.

Ca-

*De voce & sermone : titulus saepe repetendus:
 iusjurandum vitandum : obscæna nec di-
 cenda, nec audienda : mendacij ne-
 mo arguendus.*

VOX sit mollis ac sedata, non clamo-
 sa, quod est agricolarum, nec tam
 pressa, ut ad aures ejus, cui loqueris, non
 perveniat.

Sermo sit non præceps, & mentem
 præcurrens, sed lentus & explanatus. Hoc
 etiam naturalem Battarismum, aut hæsi-
 tantiam, si non in totum tollit, certè ma-
 gna ex parte mitigat, cum præcipitatus ser-
 mo multis vitium conciliet, quod non de-
 derat natura.

Inter colloquendum subinde titu-
 lum honorificum ejus, quem appellas, re-
 petere, civilitatis est. PATRIS AC MATRIS
 vocabulo nihil honorificentius, nihil dul-
 cius: Fratris Sororisve nomine nihil ama-
 bilius.

Si te fugiunt tituli peculiare, omnes
 eruditi sint tibi Præceptores observandi:
 omnes

omnes Sacerdotes, ac *Monachi*, reverendi patres : omnes æquales, fratres & amici: breviter, omnes ignoti, Domini, ignotæ, Dominæ.

Ex ore pueri turpiter auditur iusjurandum, sive jocus sit, sive res seria. Quid enim turpius eo more, quo apud Nationes quædam ad tertium quodque verbum dejerant etiam puellæ, per panem, per vinum, per candelam, per quid non?

Obscœnis dictis nec linguam præbeat ingenuus puer, nec aures accommodet. Denique quicquid inhonestè nudatur oculis hominum, indecenter ingeritur auribus.

Si res exigat, ut aliquod membrum pudendum nominetur, circumitione verecunda rem notet. Rursus, si quid inciderit, quod auditori nauseam ciere possit, veluti, si quis narret *vomitum*, aut *latrinam*, aut *olétum*, præfetur honorem auribus.

Si quid refellendum erit, caveto dicat: *haud vera prædicas*, præsertim si loquatur

quatur grandiori natu: sed præfatus pacem, dicat: *mibi secus narratum est à tali.*

CAPVT XXII.

De aliis virtutibus in vita communi observandis. Puer non sit contentiosus, non superbus, non nugigerulus, non taciti vulgator, alienarum rerum, literarum, & sermonum non curiosus.

PVER ingenuus cum nemine contentionem suscipiat, ne cum æqualibus quidem, sed cedat potius victoriam, si res ad iurgium veniat, aut ad arbitrum provocet.

Ne cui se præferat, ne sua jactet, ne cujusdam institutum reprehendat, aut ullius Nationis ingenium, morésve sugillet, ne quid arcani creditum evulget, ne novos spargat rumores, ne cuius obtrectet famæ, ne cui probro det vitium natura insitum. Id enim non solum contumeliosum est, & inhumanum, sed etiam stultum, veluti, si quis luscum appellet
luscum.

luscum, aut *loripedem*, *loripedem*, aut *strabum*, *strabum*, aut *nothum*, *nothum*. His rationibus fiet, ut sine invidia laudem inveniat, & amicos paret.

Interpellare loquentem, antequam sermonem absolverit, inurbanum est.

Cum nemine similitatem suscipiat, comitatem exhibeat omnibus, perpau-
cos tamen ad interiorem familiaritatem recipiat, eosq; cum delectu.

Ne cui tamen credat, quod tacitum velit. Ridiculum enim est ab alio silentij fidem expectare, quam ipse tibi non præstet. Nullus autem est adeò linguæ continentis, ut non habeat aliquem, in quem transfundat arcanum. Tutissimum autem est, nihil admittere, cuius te pudeat, si proferatur.

Alienarum rerum ne fueris curiosus, & si quid fortè conspexeris audierisve, fac, quod scis, nescias.

Literas tibi non oblatas, limis intueri, parum civile est. Si fors te præsentem scrinium suum aperit aliquis, subducito

D

te, Nam

re. Nam, inurbanum est inspicere: con-
tractare aliquid, inurbanus.

Item, si senseris inter aliquos secretius
oriri colloquium, submove te dissimu-
lanter, & in eiusmodi colloquium ne te-
met ingeras non accitus.

CAPVT XXIII.

*De lusu, quòd in hoc quoq; probi ingenii
lumen elucere debeat.*

IN lusbilibus liberalibus adsit alacritas, absit
pervicacia, rixarum parens, absit dolus,
ac mendacium. Nam ab his rudimentis
proficitur ad majores injurias. Pulchrius
vincit, qui cedit contentioni, quàm qui
palman obtinet.

Arbitris ne reclamita. Si cum imperi-
rioribus certamen est, possisq; semper vin-
cere, nonnunquam te vinci patere, quò
ludus sit alacrior. Si cum inferioribus lu-
ditur, ibi te superiorem esse nescias. Ani-
mi causa ludendum est, non lucri gratia.

Ajunt puerorum indolem nusquam
magis

magis apparere, quàm in lusu. Si cui ad dolos, ad mendacium, ad rixam, ad iram, ad violentiam, ad arrogantiam, propensius ingenium, hîc emicat naturæ vitium. Proinde puer ingenuus non minus in ludo, quàm in convivio, sui similis sit.

C A P I T U M XXIV.

De Cubiculo, quomodo ibi puer se gerere debeat, cum præceptiuncula, quòd facile ignoscere debeamus.

IN Cubiculo laudatur silentium & verecundia. Certè clamor & garrulitas indecora est, multò magis in lecto. Sive cum exuis te, sive cum surgis, memor verecundiæ, cave, ne quid nudes aliorum oculis, quod mos & natura tectum esse coluit.

Si cum sodali lectum habes communem, quietus jaceto, neque corporis jactatione vel te ipsum nudes, vel sodali, detractis palliis, sis molestus.

Priusquam reclines corpus in cervical,

cal, frontem & pectus signa crucis imagine, brevi precatiuncula temet Christo commendans. Idem facito, cum manè primum temet erigis, à precatiuncula diem auspicans. Non enim potes ab omine feliciore.

Simulac exoneraveris alvum, ne quid agas, nisi prius lota facie, manibusq; & ore proluto.

Quibus contingit bene nasci, his turpe est generi suo non respondere moribus. Quos fortuna voluit esse plebejos, humiles, aut etiam rurestres, his impensius etiam annitendum est, ut, quod fors invidit, morum elegantia pensent. Nemo sibi parentes, aut patriam eligere potest: at ingenium moresq; sibi quisque potest fingere.

Colophonis vice addam præceptiunculam, quæ mihi videtur propemodum primo digna loco. *Maxima civilitatis pars est, cum ipse nusquam delinquas, aliorum delictis facile ignoscere; nec ideo sodalem minus habere carum, si quos habet mores in-*

cor-

*conditiores. Sunt enim qui morum ruditatem
aliis compensent dotibus.*

Neque hæc ita præcipiuntur, quasi sine
his nemo bonus esse possit. Quod si sode-
lis per inscitiam peccet, in eo sanè, quod
alicujus videtur momenti, solum ac blan-
dè monere, civilitatis est.

Hoc quicquid est muneris, HENRICE
fili carissime, universo puerorum sodalitia
per te donatum esse volui, quò statim hoc
congiario simul & commilitonum tuo-
rum animos tibi concilies, & illis liberali-
um artium ac morum studia commendes.

Præclaram indolem tuam IESU beni-
gnitas servare dignetur, temperq; in me-
lius provehere.

Datum apud Friburgum Brisgojæ,
mensæ Martio, Anno CHRISTI 1530.
(ætatis Erasmi sexagesimo quinto, sexen-
nio ante mortem. Mortuus est enim

Basileæ anno 1536. die undeci-
mo Julii, cum natus fuisset

anno 1465.)

D 3

VT

UT VACANTES
 PAGELLÆ EXPLEREN-
 TVR, VISVM EST SEQVEN-
 tes narratiunculas, cum libelli hujus
 argumento convenientes,
 adjicere,

MANLIVS IN COLLECTA-
 neis, in octavo precepto.

CVM Iohannes Capnio aliquando
 esset conuiva Ducis VVirtenber-
 gensis, Dux apposuit illi de ferina.
 Ille, cum vellet esse civilior, & excipere
 cultello, excidit illi in cyathum. Postea
 illud volens corrigere alia civilitate, & exi-
 mere cultro, tunc effudit cyathum in
 mensam. *Sic plerunq̄ nobis accidit, ut, quan-
 do vitia corrigere conamur, in deteriora inci-
 damus.*

MOX IBIDEM.

ROMÆ Legatus quidam, mittendus
 in Germaniam, accessit quendam a-
 micum suum Germanum, inquiens: au-
 dio

ens: Si es Marschalcus, ipse collocato te in locum tibi convenientem. Ipse erubuit, & postea in loco sibi monstrato assedit.

Erasmus lib. 1. de ratione Concionandi.

IL L E mos probandus non est, quem apud Italos vidimus: privatus Monachus, nullius pretij, neque doctrinæ, in convivio invitatus primum occupat locum, etiam cum elogio civili: boni consuletis, scitis hunc esse locum meum, ostendens vestem, &c.

Bebelius lib. 1. Facetiarum.

CV I D A M ditissimæ viduæ unicus erat filius, sed crasso pecuarioq; ingenio, omniumq; stultissimus: Qui cum in vicinia quadam virginem nobilem efflictim deperiret, petit illam sibi dari uxorem. Parentes virginis, etsi nobiles essent, inopia tamen & angustia rei domesticæ premebantur, nec facilè eorundem natalium filia virum deligere potuerunt: unde opulentia Rustici permoti, non difficulter sunt precibus ejus assensi. Mater autem
illius

illius stultitiæ Nati conscia, verita ne propter incompositos mores virgo illum negligeret atq; fastidiret, curiosè satis, quibus moribus esse debeat, instituit. Et cum primum fatuus virginem adiisset, conciliandi amoris gratia, virgo ab euntem chirothecis donavit ex aluta, hoc est, tenuioribus pellibus confectis: quibus cum indutus abiret, imbris tempestate in nihilum redegit. Vnde Mater eum corripiens, aiebat: Debebas, fili, thecas complicasse atq; pectorali involuisse.

At ille secundò virginem accedens, Accipitre donatus est. Abiens ergo, & maternæ institutionis memor, eundem pectorali involvit: cumq; matri munus ostendere vellet, mortuum accipitrem eduxit. Quem rursus Mater castigans, ait, eundem manibus gestandum fuisse.

Tertiò cum virginem salutasset, nec prius thecas aut accipitrem curasset, donavit eum illa cribro frumentario ex præcepto matris. Abiens hoc ineptum capitulum, cribrum super manibus, uti accipitrem debuisset, gestavit: matre iterum do-

cente, idem equinæ caudæ appendi debuisse, memoriæ commendavit.

Ultimò Virgo desperatos hominis mores contemtui habens, eum Larido donavit, quod ille abiens caudæ equi appendit, in diversasq; partes, antequam domum veniret, per rubos & sentes discerpsit.

Tandem mater verita, ne filius propter incompositos mores omnino repudiaretur, custodiam domus illi commisit, ipsaq; ad parentes virginis profecta est, obtinuitque ut dies nuptiarum diceretur. Filio tamen mandata dedit, ne quid interea turbarum domi faceret. Ipse verò se in apothecas vinarias contulit, vinumq; depromere volens, totum vas in pavementum profudit: quod ne mater videret vini profluvium, tosto farre & quidem plurimo constravit. Deinde in cœnaculum divertens, & insolenter ingressus, anserem exterruit, qui clamitans: gag/gag/gag/ stulto timorem incussit, quasi diceret, ich wils sagen. Quare anserem arripiens, quòd se dicturum minitaretur, quæ in cella vinaria

ria

ria egisset, obtruncavit, seque & totum corpus, protinus melle, quod in propinquo vasculo inveniebat, collinivit, contractisq; undique ex pulvinaribus plumis ex mellis natura, in locum anseris incubandi gratia confedit.

Matre itaque ex arce virginis domum repedante, filium more anseris incubantem reperit. Quæ dum ostium pullasset, filiumq; vocasset: respondit filius, gag/gag/ quasi voce & incubatione anseris officio fungeretur. Tandem relicta cavea, multis minis & interminationibus matrem intromisit. Quam cum nuptura Virgo illico consequeretur, illa omnia incommoda, quæ interim commiserat, indulgendo, illum instituit, quibus moribus sponsa esset salutanda, ut scilicet oculos hilarè & comiter in eam conjiceret. At ille hac adveniente, maternis ovibus universis oculos eruit, omnesq; illos in faciem Virginis projecit: Sic enim oculos in eam conjiciendos esse putavit. Das mag wol ein Grobianus Knecht geweest seyn.

Idem

ERAT cuidam Nobili mulieri rusticus
 adolescens, qui fimum ei in agrum
 vexit, & cum pranderet ille in conspectu
 Dominae, consolata illa rusticum, & ut sine
 pudore largiter biberet & comederet,
 admonuit. Quod ipse audiens, ô Domina,
inquit, edo uti sus, & bibo, ut vacca. Hoc
 verò audiens præpositus domus illius Do-
 minae, atq; rusticum de incompositis mo-
 ribus corripere volens, dixit: vade ad a-
 num matris tuæ (*uti nostris commotis loqui
 mos est*) quàm impudicus & obscœnus es
 coram gratia Dominae meæ. Sed dum al-
 terum de impudentia & obscœnitate mo-
 rum arguere vellet, factus est multò im-
 pudencior. Pari impudentia usus est & pa-
 ter rustici adolescentis. Nam cùm Domi-
 na patrem illius admoneret, ut composi-
 tiores filium mores doceret, respondit:
 valde rudis est filius meus, ô Domina: sed,
 si illi hanc impudentiam condonaverò, suf-
 flate mihi in anum.

Aliud

Aliud exemplum ex Galateo.

EPISCOPUS Veronensis in Italia, hominem quendam nobilem, comitem Richardum, hospitem suum, optimis moribus aliàs excultū, admoneri jussit, quòd uni cuidam actui ejus nonnihil deformitatis inesset, quando scilicet in mensa inter manducandum quassatione oris & labiorum velut poppysmate quodam novo, aures assidentium non mediocriter offenderet, *das er schmenget wie ein Saw.*

CAMERARIUS IN ADMONITIONE ad præcipuæ familiæ adolescentem.

IN ebrietate quidem perspicua sunt mala & damna, cum insigni imagine fœditatis & dedecoris conjuncta.

Quis nescit audere omnia ebrios extincta jam consilii ratione? Tum igitur furientes non modò gestu habituque totius corporis ridiculi, vel deplorandi illi potius sunt, & barbaris vociferationibus odiosi, sed in ea etiam facinora ruunt, & ejusmodi per-

di perpetrant flagitia, quibus non modò bona existimatio læditur, sed caput & vita affligitur: Cum quidem in ipsius ebrietatis vesania aliquando rixis & pugnis, aliquando aberratione & lapsibus nonnulli cæsi, præcipitati, suffocati intereant, aut mutilatione, cruciatuq; malè multentur. Non autem est propositum coacervare hoc loco ea, quibus vetustas hoc vitium infectata fuit. Id quidem est in re miserè, quòd ea quæ omnes fatentur esse deterrima, & contrà quæ à Deo & hominibus opem auxiliumq; expetunt, sua sponte sibi accersunt. Ea est corporis debilitatio, afflictæq; valetudinis, & mentis perturbatio atq; delirium, &c.

Ita quicumque incommoda & pestem Ebrietatis considerare voluerit, fugere illam profectò studebit.

Istæ quidem non jam invitationes, sed coactiones in potu, execrabiles sunt, & ita barbaricæ atq; turpes, ut qui ipsi exercent, eos harum pudeat. Neq; fieri potest, ut in ulla bene constituta Repub. diu durare possint. Has audiui de V Vilhelmo Fuxio
Neihar-

Neidhardi fratris (ejus qui in Frisia, bellum gerente Alberto Duce Saxonum, post admirabilia virtutis facinora, insidiis exceptus & interfectus fuit) de V Vilhelmo igitur audiui, se adolescente ad Francos istam immanitatem convictus esse traductam à duobus ex nobilitate ejus Gentis. Ipse familias etiam nominabat: sed in hac mentione illas indicandas esse non putavi: quorum uterq; deformi & violenta morte interierit. Id à nostra ætate tempus non multò amplius annis L X X. retrò abesse poterit.


SIRACH. 32. 14.

Πρὸ αἰσχυνήσεως προελεύσεται χάρις, Verecundum gratia antecedit, Schame machte grosse Gunst: ubi Lutherus annotavit: Omnis mundus diligit juvenem verecundia præditum. Sicut è contrario omnes oderunt impudentiam in ætate juvenili.


FINIS.

Publius Syrus

FINIS








Farbkarte #13

B.I.G.

Blue	Black
Cyan	3/Color
Green	White
Yellow	Magenta
Red	



VILLI-
MORVM
VM LI-

us,
TERODAMI,
viginti quatuor
cuig, summa prapo-
adjecta Graco-
rum inter-
one,

A COBVR.
ponetur, & è Ga-
ibus, Deo bene
icabitur.



RGI,
tus HAUCK.

DCIV.

